

stica, paravimus; & quæ modo publicam aspiciunt lucem, sub tui nominis umbra; nullam sibi promittere audent claritatem, si Tu eas patrocínio tuo, quo nihil clarius, nihil splendidius, honestare dedignaberis. Si enim semel universalis Ecclesiæ Magister doctrinam, quam continent, non improbabit; Si Pastorum omnium Princeps Minimi inter Pastores curas non respuet; Si Christianorum Pater, & catholici Orbis Hierarcha, munusculum hoc, in exaltationis suæ anathema, accipiet: Omnes profecto credent, labores nostros, quos Ecclesiæ dedicavimus, eidem Ecclesiæ, non in noxam, nec in dedecus, sed in fulcimentum saltem, atque munimen fore cessuros.

Rem Theologicam non solum a primis ætatis tuæ annis Te feliciter tractasse, verum quoque posteriori ævo in eadem fuisse consultissimum, omnes, qui Te norunt, profecto habent exploratissimum. Et quid indicant melioris notæ Theologi, quibuscum conversari semper in deliciis habuisti, & quorum sortem adeo protegere visus es, ut non destiteris, nisi eos justo præmio videres redimitos? Quid Theologicæ Academiæ, quibus Roma ornatur simul, ac eruditur; unde Scholarum præjudicia deponuntur ab animis illorum, qui candidam facultatem in triviis quoque dehonestare consueverant; quarum nihilominus adeo fortiter tutelam suscepisti, ut & illas, & qui eas frequentabant, nunquam patrocinari desieris? Quid sacræ Congregationes, & Indicis librorum ab Ecclesia prohibitorum, & sanctæ ac universalis Romanæ Inquisitionis contra hæreticam pravitatem; quarum interest, in theologicis præcipue rebus, falsum a vero secernere, hocque asserere, & illud omnino damnare; & in quibus unus ex conscriptis Patribus, nemini quidem secundus, per annos plurimos confedisti?